

unde sacramentum ejus salubriter percipit. Respondi, sicut existimo, quæstionibus tuis, quantum attinet ad minùs capaces & ad contentiosos, non satis; quantum ad pacatos & intelligentes, plus fortè, quàm sat est. Nec tibi ad excusationem meam objeci firmissimam consuetudinem; sed saluberrimæ consuetudinis reddidi,\* quam potui, rationem.

\* Al. quan-  
tum

## EPIST. XXIV.

Hieronymus Augustino & Alipio Adversus Hieronymi libros, quos scripsit contra Pelagianos, rescripserat Annianus quidam diaconus: hortatur itaque Augustinum, ut ipse potiùs illi respondeat.

*Dominis verè sanctis atq; omni affectione ac jure venerandis, Alipio & Augustino, Episcopis, Hieronymus in Christo S.*

**CAP. I.** **S**ANCTUS Innocentius, presbyter, qui hujus sermonis est portitor, anno præterito, quasi nequaquam in Africam reversurus, mea ad dignationem vestram scripta non sumsit. Tamen Deo gratias agimus, quòd ita evenit, ut nostrum silentium vestris epistolis vinceretis. Mihi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ reverentiæ: testem invocans Deum, quòd, si posset fieri, assumtis alis columbæ vestris amplexibus implicarer: semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maximè, quia cooperatoribus & adiutoribus vobis hæresis Cœlestina jugulata est, quæ ita infecit corda multorum, ut, cum desperatos damnatosq; esse se sentiant; tamen venena mentium non omittant, & quod solum possunt, nos oderint, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse.

**CAP. II.** **Q**uòd autem quæritis, utrum rescripserim contra libros Anniani, pseudo-diaconi Celedensis, qui copiosissimè pascitur, ut alienæ blasphemiae verba frivola subministret; sciatis, me ipsos libros in schedulis missos à sancto fratre, Eusebio, presbytero, suscepisse, non ante multum temporis, & exinde, vel ingruentibus morbis, vel dormitione sanctæ & venerabilis filiae vestræ, Eustochii, ita doluisse, ut propemodum contemnendos putarem: in eodem enim luto hæsitat, & exceptis verbis tinnulis atq; emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut, dum epistola mea respondere conatur, apertiùs se proderet, & blasphemias suas omnibus patefaceret. Quicquid enim in illa miserabili synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc opere profitetur, nec grande est ineptissimis nanius respondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis respondebimus: non, ut vincamus hæresim emortuam; sed ut imperitiam atq; blasphemiam ejus nostris sermonibus confutemus. Meliùsq; hoc faceret sanctitas vestra, ne compellamur contra hæreticum nostra laudare. Sancti filii communes, Albina, Pinianus &